# HEBDOMADA
## Meditandæ Æternitatis, Magiſtro Diuino Amore.

ſiue

In ſingulos hebdomadæ dies diſtributa

*Meditatio de igne inferni per ignem diuini amoris extinguendo; & de igne amoris Dei, etiam ab ipſis gehennæ ignibus accendendo,*

*Pro fuga inferni.*

Excerpta è Menſe III. diuini amoris I.N.S.I. & tepidis cordibus excitandis dedicata.

Editio tertia auctior.

Romæ, typis Vareſij. 1664.

*Superiorum Permiſſu.*

Digitized by Google

S. Auguſtinus tomo 9. librum ſuum de diligendo Deo ita orditur:

*Vigili curà, mente ſolicità, ſummo conatu decet nos inquirere, & addiſcere; quomodo, & quà via poſſimus infernale ſupplicium vitare, & cæleſte gaudium acquirere. Dilectio via eſt. Charitas excellentiſſima via eſt. Quis in hac via eſt? Qui diligit Deum.* Ita ille.

Digitized by Google

Pro Die Dominico.

1 Quò me vocas, Æternitas,
Statera veritatis?
Quid me doces, Æternitas,
Magiſtra ſanctitatis?
2 Æternus eſt, æternus eſt
Rex ille qui minatur!
Infernus eſt, infernus eſt
Res illa quam minatur!
3 Æternitas, horrenda vox!
Loquarne, num tacebo?
Æternitas, heu longa nox!
Quicquid vetas, cauebo.
4 Quid deſides inertijs
Totos dies iocamur?
A blandulis ineptijs
Ad tartarum vocamur.
5 Quid eſt, quid hæc Æternitas?
Æterna pœna damni.
Quid eſt, quid hæc Æternitas?
Æterna pœna ſenſus.
6 Eheu! Inexplicabilis
Æterna pœna damni!
Nunquamque terminabilis
Æterna pœna ſenſus.
7 Væ cordibus tepentibus,
Gulæque delicatæ!

Eſtrænibuſque mentibus,
Carnique ſordidatæ!
8 O ira, væ! Libido, væ!
Impura lingua, væ, væ!
Væ, væ, manus! Theatra, væ!
Obſcœna corda, væ, væ!
9 Væ, væ, guloſa prandia,
Cœnæque delicatæ!
Tormenta vobis grandia,
Pœnæque ſunt paratæ!
10 Væ ſumptuoſis ferculis,
Fœdis iocis, libellis!
Parùmque caſtis fabulis,
Væ turpibus tabellis!
11 Æternitas, ò vox atrox!
Quam mundus obſtupeſcit.
Æternitatis cæca nox
Somnum videre neſcit.
12 O aſtra, pulchra patria
Æternæ amœnitatis!
O inferi, vos atria
Heu triſtis orbitatis!
13 Quid es, beata Æternitas?
Æternitas beata?
Quid es, tremenda Aeternitas,
Nunquam ſat explicata?
14 Caro, caro, quem decipis!
Ca-

Digitized by Google

Caue tuos amores !
In re perenni deſipis :
Et ſeminas dolores.
15 Audi cor:heu quid ſtertimus ?
Ridemus, vt fleamus.
Caduca ſunt, quæ ſpernimus.
Eamus hinc, eamus.
16 Quot dormientes deuorat
Aeternitas ſiniſtra !
Eamus ergò quò vocat
Aeternitas magiſtra !
*Quò me vocas &c. num. 1.*
*Æternus eſt &c. num. 2.*
*Meditatio pro Feria II.*
17 Heu ! naufragis ſolatijs
Mundus ſuos ſaginat,
Lethalibus mendacijs
Venena dum propinat !
18 Aeternitas cœleſtium
O ſancta norma morum !
Et mille, mille triſtium
Vorago ſeculorum !
19 Aeternitatis diphtheram
Heu quàmdiu reuoluam ?
Adhucne, adhucne differam ?
Nunquamne me reſoluam ?
20 Nugacitatis faſcino

Torpemus illigati!
Hac nocte fors, vel craſtino
Torquebimur citati!
21 Adhucne non determino?
Quò moeſta vota verto?
Infernus abſque termino
Me expectat ore aperto.
22 Me raptat aſtu libero
*Amicus ille* ſecum:
Heu quàmdiu delibero!
Et luctor ipſe mecum?
23 Heu munde, tu me decipis
Blandum tuum clientem.
Aeternitas, quid præcipis?
Habes obedientem.
24 Sanctis amoris paſſibus
Quò me vocas abibo.
Pijs amoris artibus
Inſtructus, haud peribo!
25 O ſulphurata flumina,
O vortices profundi!
O ignium volumina,
Stulti ſepulchra mundi!
26 Hæc veſtra ſunt ſtipendia:
Caro, ioci, lepores:
Aeterna quos incendia
Vobis dabunt dolores.

Ho-

27 Horum memor fac omnium
Vt ſit cor abſque fine !
Amor, piorum cordium
Diuine Seraphine.
28 Carbone viuo torridos
Incende iam colores;
Igneſque pinge turbidos,
Et ignium dolores.
29 Pinge igneas ſartagines;
Altiſſimos hiatus:
Et flammeas imagines,
Et ditis eiulatus.
30 I pinge ſerpentes, hydras
Sulphur, picem vomentes!
*Semper* fluentes clepſydras,
Nunquam ſed effluentes.
31 Eheu dolorum ciuitas,
Captiuitas reorum!
Sitis, fames, æternitas!
Stipendium malorum.
32 Hic diues ardet; vritur
Hic purpura, atque byſſus!
Hic eſt ſcopus quò curritur:
Hæc eſt profunda abyſſus!
33 Credo tuas, Aeternitas,
Flammas, minaſque credo!
Cedo tuis, Aeternitas,

Flammis, miniſque cedo !
*Quò me vocas &c* num. 1.
*Aeternus &c.* num. 2.

*Meditatio pro Feria III.*

34 Damnate, dic tu : quamdiu
Ardebis igne ? Semper.
Dic ipſe, dic tu ; quamdiu
Cogère flere ? *Semper*.

35 Damnate, dic; Vos quamdiu
Torquebit ignis ille ?
*Torquebit, eheu ! tam diu*
*Dum viuet* VNVS ille !

36 *Ibunt dies cum menſibus,*
*Anniſque, ſeculiſque :*
*Ardebimus nos menſibus,*
*Anniſque, ſeculiſque ;*

37 *Ardebit ira Numinis*
*Per luſtra ſeculorum :*
*Nec ſpes erit leuaminis,*
*Nec terminus dolorum.*

38 *Nunquam Deum videbimus ;*
*Amabimuſque nunquam !*
*Ah ſemper hic ardebimus,*
*Amabimurque nunquam.*

39 *Famemus ? Ignis, ignis eſt*
*Glutire quem iubemur.*
*Sitimus ! Ignis, potus eſt ;*

*Vi*

*Vt hoc inebriemur .*
40 *Videmus ? ater ignis eſt*
*Id omne quod videmus :*
*Iacemus ? Ignis lectus eſt*
*Quo perpetim iacemus :*
41 *Non ſunt polis tot ſtellulæ,*
*Nec orbe toto arenæ;*
*Non ſunt maris tot guttulæ ,*
*Quot hoc in igne pœnæ.*
42 *Aeternitas, ſed maximus*
*Eſt hic dolor dolorum :*
*Quòd non ſit vllus terminus*
*Tam grandium malorum .*
43 *Aeternitas ; ô omnium*
*Mors magna reproborum !*
*Interminate triſtium*
*Acerue ſeculorum !*
44 Clamant in illo carcere :
*O ſi daretur hora !*
*Totus Deo renaſcere :*
*Quantum potes, labora !*
45 *Semper* necabit tartarus ;
*Nunquam* tamen necabit :
*Semper* vorabit tartarus,
*Nunquamque* deuorabit .
46 *Semper* trucidat tartarus ;
Nunquamque conquieſcet .



Digitized by Google





Heu! *Semper* ardet tartarus;
*Nunquam* focus tepeſcet.
47 Arſura *ſemper* fulmina,
Et ſopienda *nunquam*!
*Semper* fluunt hæc flumina,
Exhaurienda *nunquam*!
48 *Nũquam*; quid es, vox horrida
Altæ profunditatis?
*Semperque* zona torrida
Diræ perennitatis?
49 Bilance iuſta pondera
Hinc *ſemper*, inde *nunquam*:
Sint cordis iſta pondera
Sat ponderanda *numquam*.
50 *Semper*, quid es? *nũquã*, quid es?
Deo carere *Semper*.
*Nunquam*, quid es? *Semper*, quid es!
Vri, morique *Semper*?
51 Eheu! Duo vocabula,
Menſura Sanctitatis!
Nec eſt, nec eſt hæc fabula:
Sunt verba veritatis.

*Quò me. num. 1.*
*Aeternus. num. 2.*
*Medit. pro Feria IV.*

52 Eheu! quid eſt pulcherrimum
Deum videre *nunquam*?

Il-

Illum Deum dulciſſimum
Quid eſt amare *nunquam* !
53 Cum flammeis draconibus
Vinctum iacere *Semper* ?
Viuiſque ſub carbonibus
Ardere, flere *Semper* ?
54 Quid es, quid es, damnatio ?
Deo placere *nunquam* !
Æterna deſperatio :
Pœnis carere *nunquam* !
55 Sub igneis rudentibus
Viuum perire ſemper ;
Sub tot draconum dentibus
Singultiendo *Semper* .
56 Nil eſt, nihil, candentium
Fornax laterculorum :
Nihil, vitrum coquentium
Ignis vitrariorum .
57 Ferrum liquatum quod fluit,
Et bullit in cauerna ,
Nil eſt ad illa quæ luit
Peccator in gehenna .
58 Oſtende nobis, ò fides,
Deum bonos amantem !
Dic, ò fides, qualem vides
Deum reos necantem !
59 Coronat illos lumine

In monte præmiorum:
Inuoluit iſtos fulmine
In valle perditorum.
60 Quàm mira, multa, grandia
Scribuntur, & leguntur
Aeternitatis gaudia
Quibus boni fruuntur!
61 Aeternitatis gaudijs
At omnibus carebunt
Aeterna pro ſolatijs
Tormenta quos manebunt.
62 Valete, pulchra ſomnia,
Vanæque vanitates!
Nihil, nihil ſunt omnia,
Aut ſunt inanitates.
63 Hic mundus eſt breuiſſimæ
Sophiſma vanitatis:
Infernus, eſt diriſſimæ
Fornax perennitatis.
64 Aduerte! Iudicaberis
In Iudicis lucernis.
Si ſis reus, torqueberis
In *tartari* cauernis.
65 Aeternus eſt, æternus eſt,
Aeternus, ignis ille.
Infernus eſt, infernus eſt,
Infernus, ignis ille.

Ah

Digitized by Google

66 Ah ! quàmdiu morabimur
Inter pericla mille ?
Breui, Breuì vocabimur :
Præceſſit hic, & ille !
67 O æſtuoſa æternitas,
Tu me tene cadentem !
Semperque ſtans Aeternitas,
Tu ſubleua iacentem.
68 Deo *volo* iam viuere
In valle lachrymarum ?
*Volo* moras abrumpere !
*Sat eſt, ſat eſt morarum* :
69 Si quiſpiam de carcere
Illo domum rediret ;
Poſſetne carni parcere ?
Heu ! quanta non ſubiret ?
70 Quales preces tunc funderet,
Quas lachrymis rigaret ?
Illiſque flagra iungeret ;
Corpuſque perdomaret !
71 Ab inferis ſi ſurgerem,
A morte ſi redirem ;
Quid dicerem? quì viuerem ?
Ne denuò perirem ?

*Quò me. num.* 1.
*Aeternus . num.* 2.
*Medit. pro Feria V.*



Digitized by Google

72 O quanto amore amplecterer
Te, Chriſte liberator!
Quòd amplius non plecterer
Per te, Deus creator!
73 Ah! Plus amoris debeo
Perire non ſinenti!
*Quid langueo? quid hæreo?*
Nec reddo cor petenti?
74 Amore flagrantiſſimo
*Volo ſequi vocantem!*
Et corde quàm tenerrimo
Amare ſic amantem.
75 Quis fecit, vt ne ſim reus:
Viuamque corde mundo?
Quis fecit, vt ſi ſim reus;
Ne mergar in profundo?
76 Quis fecit, vt ne ſterterem
In criminum veterno?
Mihique lectum ſternerem
In igne ſempiterno?
77 Ardent in antro flammeo
Heu mille! mille! mille!
Cur ſic ego non ardeo
Vt ardet hic, & ille?
78 Quis fecit, vt ne traderer
Ergaſtulo reorum?
Quis fecit, vt ne truderer

In clibanum dolorum?

79 Hoc fecit admirabilis
Monarcha ſæculorum:
Et millies amabilis
Rex cordium bonorum.

80 Amor Deus, dignatus es
Amare non amantem:
Fac vt velim (nam dignus es!)
Amare ſic amantem.

81 Fac iſta ſic intelligam
Vt plus amare diſcam;
Fac, mi Deus, Te diligam;
Tepore ne fatiſcam.

82 Tu, mi Deus, me maximo
Amore *ſic* amaſti,
Et tartari diriſſimo
Ab igne liberaſti.

83 Amare iam ne deſinas
Amare Te volentem
Et impetrare me ſinas
Amare Te petentem,

84 Amoris igniarium
In corde ſit perenne:
Creſcatque ſeminarium
Incendio gehennæ.

85 Inferne, quantis ignibus
Alis tuos dolores;

Iu-

Inferne, tantis ignibus
Alas meos amores ?
86 Amoris iſte ſic reos
Extinguet ignis ignes.
Aeternus ille, ſic meos
Accendet ignis ignes ?
87 Timendus eſt, amandus eſt
Qui nos ad hoc creauit:
Amandus eſt, timendus eſt
Qui tot modis amauit.
88 *Quouſque non amabimus* ?
Nugas amando feſſi ?
Quouſque ſomniabimus
Surdo ſopore preſſi ?
89 Quid non timenda ſomnia
Vano metu timemus ?
Heu! Vana ſunt hæc omnia
*Amemus* HVNC, *amemus* ;
90 Ecquid vijs tam deuijs
Cor iſtud impedimus ?
Nugamur in tam ſerijs :
Et seriò perimus.
*Quò me vocas, &c. n.* 1.
*Aeternus eſt, &c. n.* 2.
*Medit. pro Feria VI.*
91 Hæc tanta dum conſidero ;
Deus, volo Te amare ;
Nec

Nec amplius deſidero
Quam cor Tibi immolare,
92 Tu qui dediſti ne fleam
In igne deuorante;
Fac vt beatus gaudeam
In igne cor liquante.
93 Hoc igne creſcens charitas
Amare me docebit;
Et triſtis illa æternitas
Nihil mihi nocebit!
94 Vellem focis maioribus
Ardere corde toto,
Quàm mundus ignes ignibus
Inflammet orbe toto.
95 Infernus ignis æſtuat
In ſe furore quanto,
Internus ignis ardeat
In me calore tanto.
96 Vtrumq; vtrinque incendium
Mundique tartarique
Si conflet in compendium
Munduſque tartaruſque;
97 Adhuc tamen non ſufficit
Hæc flamma; ſed nec illa:
Infernus ipſe deficit:
Et eſt velut fauilla.
98 Maiore amore debeo



Digitized by Google

Te corde toto amare :
Maiore ab igne debeo
Amando Te flagrare :
99 Deus , volo flammeſcere
Prunis tui caloris :
Et ſic amando creſcere
Incendijs amoris .
100 Felix Dei dilectio ,
Tu cor mihi mouebis :
O pulchra cordis lectio ,
Tu me *fugam* docebis !
101 Tu tolle quicquid impedit,
Hanc ne *fugam* capeſſam :
Largire quicquid expedit
Vt hanc *fugam* capeſſam.
102 Infernus, eſt ardentium
Dolore, non amore :
Cœlum, locus flagrantium
Amore , non dolore .

*Quò me vocas . n. 1.*
*Aeternus eſt. n. 2.*
*Meditatio pro die Sabbati .*

103 Mirabiles, amabiles
Dei mei fauores !
O vos inexplicabiles ,
O nobiles amores !
104 Vos cor meum perfundite ,

Vos pectus occupate :
Quæ non placent euellite ;
Deoque me dicate .
105 Quod ignis vltor vreret ;
Vos illud expiate :
Quod ignis ille plecteret ,
Hoc vos priùs cremate.
106 Amor Dei, tu diſpice
Num quid mali ſit in me ;
Amor Dei, tu perfice
Si quid boni ſit in me .
107 Quicquid mali ſit, corrige ;
Amore corrigamur .
Si quid boni ſit, dirige :
Amore dirigamur .
108 Aeternus eſt, æternus eſt
Quem nolo Ditis ignis .
Aeternus eſt, æternus eſt
Quem quæro cordis ignis !
109 Amare Te peto, Deus !
Audi, Deus, petentem ;
Ignis meus, Deus meus ,
Accende me tepentem ;
110 Deus, manum tu porrige
Amare Te petenti:
Mentem benignus erige
Amare non potenti .

Vo-

Digitized by Google

111 *Volo, volo* iam ſurgere:
Fac me *magis volentem*.
Vt plus amem, cor ſuggere:
Iuua parùm valentem.
112 Amabo Te quàm maximis
Poſſum modis, amabo!
*Vt plus amem*, tenerrimis
Te vocibus rogabo.
113 Rogabo Te lectiſſimis
Suſpirijs; rogabo:
Quantiſque poſſum lachrymis
Inſtanter obſecrabo.
114 Modiſque flagrantiſſimis
Clamans id impetrabo.
*Sic artibus Te maximis*,
*Et optimis amabo*.
115 Venite, cuncti Cælites,
In cor meum, venite:
Tam pauperi tam diuites
Venite, ſubuenite.
116 In pectus hoc deſcendite:
Vt ardeam iuuate:
Cor frigidum ſuccendite;
Et illud innouate:
117 O corda pulchrè ardentia;
Vos cor meum fouete!
O corda, corda amantia,
Ama-

Amare me docete!

118 Si ſancti amoris guttulam
A ſingulis habebo;
Ab omnibus non guttulam,
Sed flumen obtinebo.

119 MARIA, tu ſis optimi
Ignis mihi miniſtra,
Quæ cordibus pulcherrimi
Amoris es magiſtra.

120 Iam ſum tuus: nolo, Deus,
In hoc luto iacere.
Totus volo, Deus meus,
Volo Tibi placere.

121 Accende verbis flammeis
Linguam Tibi loquentem:
Et igneis ſuſpirijs
Incende me tacentem.

122 Tu verba, Tu ſilentium
Meum doce benignè.
Sic lingua, ſic ſilentium
Igneſcat hoc ab igne.

123 Fac, mi Deus, me creſcere
Aeſtu Tui caloris,
Nouaſque ſemper diſcere
Induſtrias amoris.

124 In me, Deus, fac ardeat
Aeternitas amoris;

Nec

Digitized by Google

Nec me perennis torqueat
Aeternitas doloris.
Horum memor fac omnium
Vt ſit cor, abſque fine
Amor, piorum cordium
Diuine Seraphine.

Chriſtus S. Brigittæ. Reuel. 4. cap. 4.

Omnis qui Deum diligit ſuper omnia, non intrabit infernum. Qui verò non diligit Deum, non habebit cælum.



# Artes amoris Dei ad fugiendum infernum.

1 Amore diuino accendi, & alios accendere ad fugiendum infernum.
2 Actus diuini amoris frequenter elicere, ac ardenter.
3 Beatiſſimam Virginem Matrem actuosè amare.
4 Charitatis opera exercere erga viuos, & mortuos.
Conciones ita vt decet audire, ſed pias.
Dolere ex amore Dei de peccatis: & ſæpè confiteri.
Examinare conſcientiam quotidie accuratè.
Exercitia ſpiritualia S. Ignatij quotannis obire.
Feſta, & Sanctos ſanctè colere.
10 Fœminas, & alias noxias occaſiones, fugere.
11 Gulam vincere; inter veſcen-

ſcendum, inferni recordari.
12 Humilitati ſtudere.
13 Imaginem inferni meditatè aſpicere.
14 Inſpirationibus diuinis obedire.
15 Libros ſpirituales conſtanter, & ſeriò legere.
16 Morte conſultrice vti in dubijs, ac in tentatione.
17 Mortificationi aſſiduæ aſſueſcere.
18 Nomina inferni benè ponderare.
19 Orandi ſtudio ſe dare, ex motiuo amoris Dei.
20 Particulari examine conſtanter vti.
21 Pati aduerſa ex motiuo amoris Dei.
22 Quæſtiones practicas de inferno in colloquium inducere.
23 Reſpectus humanos fugere.
24 Sacramentum Euchariſtiæ ſanctè frequentare.

25 Tem-

Digitized by Google

25 Tempore optimè vti.

26 Teporem fugere.

27 Tentationes amore Dei vincere, præparatis ad id orationibus iaculatorijs,

28 Venialia peccata fugere.

29 Voluntatem ſuam, & ſenſus vincere.

30 Xcifixum quotidie attentè diu aſpicere.

31 Amore diuino magiſtro, de inferno meditari: & ſuſpirare ſelectis quibuſdam aſpirationipibus è Diurno, & Menſibus diuini Amoris Romæ impreſſis. exempli gratia; magno ſenſu dicere illud in Litanijs, aliiſque identidem repetere: *Vt animas noſtras, fratrum, propinquorum, & benefactorum noſtrorum, ab æterna damnatione eripias, Te rogamus audi nos.*

Cum Eccleſia: *Quæſumus, Domine, vt ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari.*

Rex tremendæ maieſtatis,

Qui ſaluandos ſaluas gratis
Salua me, fons pietatis.
Recordare, Ieſu pie,
Quòd ſim cauſa tuæ viæ.
*Ne me perdas illa die.*
*Preces meæ non ſunt dignæ:*
*Sed tu bonus fac benignè*
*Ne perenni cremer igne.*

*S. Michaël Archangele, defende nos in prælio, vt non pereamus in tremendo iudicio.*

*Cum S. Bernardo: Ne permittas me damnari quem tu de nihilo creaſti.*

In tentatione: *Amo te ſuper omnia; & ideò doleo ſuper omnia, quòd vnquam te offenderim, Deus meus, & omnia.*

*Amo te, optime; amo te, pulcherrime; amo te, infinitè amabilis Deus meus!*

Illumina, & inflamma me, Deus meus, magno illo igne amoris tui; vt ſapiam, & intelligam momentaneum eſſe quod delectat, æternum verò quod cruciat.

Cum S. Caſimiro ad B. Virginem:

*A preſ-*

*A preſſura quæ ventura*
*Malis eſt nos redime.*
*Pro me pete, vt quiete*
*Sempiternâ perfruar:*
*Ne tormentis comburentis*
*Stagni miſer obruar.*

Etiam iuuandis animabus purgatorij conſtanter eſſe addictum, eſt maximoperè vtile ad inferni fugam compendium. De quibus plura dedi in Diurno diuini amoris cap 10. & in Memoriali Indice pro animabus purgatorij; è quo pauca hæc accipe. Vt illæ te iuuent ad fugiendum totis viribus infernum, & acquirendum ſolidum amorem Dei, incipe, vel perge

Afflictationes varias pro illis offerre. Abſtinere, à cœna, à cibo aliquo, ab aliquo genere fructuum, aut bellariorum, &c.

Bonorum operum ſatisfactionem illis tranſcribere mane.

Cilicium, catenulam geſtare: coronam recitare

Communionum indulgentias illis

applicare.

Colloqui de illis: Conciones de illis curare, audire, imprimere.

Diſciplinas, eleemoſynas Deo pro illis offerre.

Exempla de illis narrare.

Feſta religiosè colere.

Genibus humi poſitis pro illis orare.

Horologij ſono audito pro illis ad Deum ſuſpirare.

Ieiunare. Imagines illarum curare Induſtrias de illis iuuandis conſcribere, alios docere.

Libellos pios de illis procurare, diſtribuere.

Litanias pro illis recitare.

Miſſæ ſacrificia curare.

Mortificare oculos, linguam, gulam.

Numiſmata illarum diſtribuere.

Officium pro illis recitare.

Orare; vt diu, & pij, ac felices viuant, qui illas iuuant.

Peregrinationes pro illis obire.

Pſalmos Pœnit. recitare.

Qua-

Quadrageſimæ ieiunio illis ſuccurrere

Roſarium pro illis recitare.

Stationum, & aliis indulgentias pro illis lucrari.

Sitire. Silere. Sodalitatem frequentare.

Typographis ſuadere, vt illas libellis impreſſis iuuent.

Viſitare loca ſancta pro indulgentiis.

Xenodochia, carceres, ægros, moribundos viſere.

Zelo animarum ardere: vt fiant ſanctiores, & magis idoneæ ad amandum Deum, ac animas viuorum ab inferno ſeruandas, mortuorum verò è purgatorio liberandas. Nam, vt ait (lib. 1. ep. 1.) S. Xauerius: *æquum eſt, vt alienam animam è purgatorio liberaturus, priùs ab inferno liberet ſuam.*

## *Orationes ad impetrandum verum amorem Dei, qui nos incitet ad ſeriam fugam inferni.*

1 DEus, qui B. Nicolaum Pontificem innumeris decoraſti miraculis: tribue quæſumus; vt eius meritis & precibus, à gehennæ incendijs liberemur. Per Dom.

2. Deus, qui diligentibus te facis cuncta prodeſſe; da cordibus noſtris *inuiolabilem tuæ charitatis affectum*: vt deſideria de tua inſpiratione concepta nullà poſſint tentatione mutari. Per Dominum.

Deus, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet ſecretum, purifica per infuſionem S. Spiritus cogitationes cordis noſtri; vt te *perfectè diligere*, & dignè laudare me-

mereamur. Per Dom.

4 Illo nos igne, quæſumus Domine, Spiritus S. inflammet quem Dominus noſter Ieſus Chriſtus miſit in terram, & voluit vehementer accendi.

5 Veni, S Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui *amoris* in eis *ignem* accende.

6 Sancti Spiritus, Domine, corda noſtra mundet infuſio, & ſui *roris intima aſperſione* fæcundet.

7 Vre *igne* S. Spiritus renes noſtros, & cor noſtrum, Domine; vt tibi caſto corpore ſeruiamus, & mundo corde placeamus.

8 Deus, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mũdum, illumina quæſumus corda noſtra gratiæ tuæ ſplendore; vt digna ac placita maieſtati tuæ cogitare ſemper, & *te* ſyncerè *diligere* valeamus.

9 Sancti Spiritus gratia, quæſumus Domine, corda noſtra illuminet; & perfectæ *charitatis* dul-



Digitized by Google

cedine abundanter reficiat.

10 Deus, qui *charitatis* dona per gratiam Sancti Spiritus tuorum cordibus fidelium infudiſti: da famulis, & famulabus ſuis, pro quibus tuam deprecamur clementiam, ſalutem mentis, & corporis; *vt te tota virtute diligant*, & quæ tibi placita ſunt *tota dilectione* perficiant.

11 Da fidelibus tuis; quæſumus Domine, in tua fide, & ſynceritate conſtantiam: vt *in charitate diuina firmati*, nullis tentationibus ab eius integritate vellantur: Per Dom.

12 Deus innocentiæ reſtitutor & amator, dirige ad te tuorum corda ſeruorum; vt Spiritus tui *feruore* concepto, & in fide inueniantur ſtabiles, & in opere efficaces.

13 Deus, quem *diligere & amare* iuſtitia eſt; ineffabilis gratiæ tuæ in nobis dona multiplica: & qui feciſti nos in morte Filij tui ſperare quæ credimus, fac nos

co-

eodem reſurgente peruenire quò tendimus. Qui tecum viuit, &c.

14 Sancti nominis tui, Domine, timorem pariter, & *amorem* fac nos habere *perpetuum*: quia nunquam tua gubernatione deſtituis quos in ſoliditate tuæ *dilectionis* inſtituis.

15 Deus, qui *diligentibus* te bona inuiſibilia præparaſti; infunde cordibus noſtris tui *amoris* affectum: *vt te in omnibus, & ſuper omnia diligentes*, promiſſiones tuas, quæ omne deſiderium ſuperant, conſequamur.

16 Deus virtutum, cuius eſt totum quod eſt optimum; inſere pectoribus noſtris *amorem* tui nominis; & præſta in nobis religionis augmentum: vt quæ ſunt bona nutrias, & pietatis ſtudio quæ ſunt nutrita cuſtodias.

17 Omnipotens ſempiterne Deus, da nobis fidei, ſpei, & *charitatis augmentum*: & vt mereamur aſſequi quod promittis, fac nos *amare quod* præcipis.

18 Deus, qui nos ad imaginem tuam ſacramentis renouas, & præceptis, perfice egreſſus noſtros in ſemitis tuis: vt *charitatis donum* quod feciſti à nobis ſperari, facias veraciter apprehendi.

*Rogandus & per Sanctos ac Sanctas in amore excellentiores Deus, vt nos illo inflammet.*

19 Deus, qui nos conſpicis ex noſtra infirmitate deficere; ad *amorem* tuum nos miſericorditer per Sanctorum tuorum exempla reſtaura.

20 Pater ſuperni luminis,
Cùm Magdalenam reſpicis
Flammas amoris excitas
Geluque ſoluis pectoris.

Beatæ Mariæ Magdalenæ, quæſumus Domine, ſuffragijs adiuuemur; cuius precibus exoratus quatriduanum fratrem Lazarum viuum ab inferis reſuſcitaſti.

Sanctiſſimæ Genitricis tuæ Sponſi, quæſumus Domine, meritis adiuuemur; vt quod poſſibilitas noſtra non obtinet, eius nobis in-

Digitized by Google

interceſſione donetur.

S. Birgitta, quæ plurimos *ad amorem diuinum vehementer accendiſti*: accende illo & me totum vndique vndequaque. *Breu. Rom. 8. Oct. lect. 6.*

21 Domine Ieſu, qui B. Bernardino Confeſſori tuo eximium Sancti nominis tui *amorem* tribuiſti; eius, quæſumus, meritis, & interceſſione, ſpiritum nobis tuæ dilectionis benignus infunde.

22 Præſta, quæſumus, omnipotens Deus, vt qui Beati N. Martyris tui natalitia colimus, interceſſione eius in tui nominis *amore* roboremur.

23 Excita, Domine, in Eccleſia tua ſpiritum cui B. Laurentius Leuita ſeruiuit: vt eodem nos repleti, ſtudeamus *amare* quod *amauit*, & opere exercere quod docuit.

24 Domine Ieſu Chriſte, qui frigeſcente mundo, ad *inflammandum corda* noſtra tui *amoris igne*, in carne beatiſſimi Franciſci paſ-



Digitized by Google

ſionis tuæ ſacra ſtigmata renouaſti; concede propitius, vt eius meritis & precibus Crucem iugiter feramus, & dignos fructus pœnitentiæ faciamus. Qui viuis, &c.

25 Eccleſiam tuam, Domine, S. Caroli Confeſſoris tui, atque Pontificis continua protectione cuſtodi: vt ſicut illum paſtoralis ſolicitudo glorioſum reddidit, ita nos eius interceſſio in *tuo ſemper faciat amore feruentes*. Per Dom.

26 Sanctorum Martyrum tuorum nos, Domine, Sergij, Bacchi, Marcelli, & Apuleij beata merita proſequantur: & *tuo ſemper faciant amore feruentes*.

27 Deus, qui B. Dionſium Martyrem tuum, atque Pontificem virtute conſtantiæ in paſſione roboraſti; quique illi ad prædicandum gentibus gloriam tuam, Ruſticum, & Eleutherium ſociare dignatus es, tribue nobis, quæſumus, eius imitatione *pro amore tuo* proſpera mundi deſpicere, & nulla eius aduerſa formidare.

28 Deus omnium largitor bonorum, qui in famula tua Bibiana cum virginitatis flore martyrij palmam coniunxiſti: mentes noſtras, eius interceſſione, tibi *charitate* coniuge; vt amotis periculis præmia conſequamur æterna.

29 Deus, qui ad animarum ſalutem B. Franciſcum Confeſſorem tuum, atque Pontificem omnibus omnia factum eſſe voluiſti, concede propitius, vt *charitatis tuæ dulcedine perfuſi*, eius dirigentibus monitis, ac ſuffragantibus meritis, æterna gaudia conſequamur.

30 Vota noſtra, quæſumus Domine, pio fauore proſequere: vt dum dona tua in tribulatione percipimus, de conſolatione noſtra *in tuo amore creſcamus.* Per Dom:

S. Xauerij: O Ieſu Chriſte, Deus cordis mei, obſecro te per quinque illa vulnera, quæ tibi in Cruce noſtri *amor inflixit*; quis

ia

famulis ſubueni, quos pretioſo ſanguine redemiſti.

*S. Ignatij Loyolæ in fine exercit.*

31 Suſcipe, Domine, vniuerſam meam libertatem; accipe memoriam, intellectum, & voluntatem omnem. Quicquid habeo, vel poſſideo, mihi largitus es: id tibi totum reſtituo, ac tuæ prorſus voluntati trado gubernandum. *Amorem tui* ſolùm, cum gratia tua mihi dones, & diues ſum ſatis; nec aliud quicquam vltra poſco. Amen.

S. Xauerius (lib. 2. ep. 5.) Regi ſuggeri vult *ſaluberrimum conſilium: vt quotidie per quadrantem horæ, diuinam illam ſententiam meditando; quid prodeſt homini, ſi mundum vniuerſum lucretur; animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* germanam *eius intelligentiam à Deo peteret cum ſenſu animi interiore coniunctam; & ſimul ſuarum precationum omnium illam vellet eſſe clauſulam: Quid prodeſt? &c.*

Ora-

Oratio S. Aldegundis V. poſt tentationem ſuperatam, Bolland. 30. Ian.

*Deus meus, concede mihi, vt in amore tuo permaneam vſque in finem.* Et Dominus illi pollicitus eſt quod petebat.

Oratio quam Angelus docuit S. Dunſtannum. Surius 19. Maij. c. 35.

*O Rex gentium, dominator omnium; propter ſedem maieſtatis tuæ da nobis indulgentiam, Rex Chriſte, peccatorum. Alleluia.*

Amo te, Deus meus; & ideò gratulor illi amori quo te infinitè amas, & quo te amant omnes voluntates quæ te amant: & per illum amorem te rogo ſupplex, vt eo modo te amem, & eo modo tibi ſeruiam, qui omnium maximè tibi placet.

Oratio trium in fornace ignis ardentis. Dan. 3.

Benedictus es, Domine Deus Patrum noſtrorum: & laudabilis, & glorioſus, & ſuperexaltatus in

ſæcula.

Et benedictum nomen gloriæ tuæ ſanctum: & laudabile, & ſuperexaltatum in omnibus ſeculis.

Benedictus es in templo ſancto gloriæ tuæ: & ſuperlaudabilis, & ſupergloriosſus in ſecula.

Benedictus es in throno regni tui: & ſuperlaudabilis, & ſuper exaltatus in ſecula.

Benedictus es, qui intueris abyſſos, & ſedes ſuper Cherubim: & laudabilis, & ſuperexaltatus in ſecula.

Benedictus es in Firmamento cæli: & laudabilis, & glorioſus in ſecula.

Gratulor tibi, mi cuſtos Angele, ac omnes fideles Angeli, quòd non cecideritis cum rebellibus Angelis in ignem æternum: quòd ametis Deum æternum.

*Manè, vel interdiu.*

SSS. TRINITAS vnus *Deus* meus, & omnia; credo, ſpero, amo, adoro Te; ac per manus, & omnia merita Crucifixi Ieſu, Ma-

rïæ,

riæ, Angeli mei, Sancti N. & omnium Seraphinorum, ac electorum tuorum; maximè illorum qui te in hac vita ſummoperè dilexeruit, offero diuinæ; atque infinitè amabili Maieſtati Tuæ; cum profundiſſima cordis humilitate, in ſacrificium laudis; & holocauſtum amoris Tui, meipſum; & omnes, ac, nulla omiſſa, particulatim ſingulas meas cogitationes, verba, opera; reſpirationes huius diei, hebdomadæ, menſis, ac totius vitæ, & mortis meæ

Primò: *In gratulationem* de omnibus bonis quæ habes à Te; & quæ Ieſus, Maria, meus Angelus, ſanctus N. ac omnes omninò electi tui habent à Te: & de omni amore quo amaris ab illis: ac imprimis de illo, quo Tu ipſe infinitè amas Te!

Secundò: *In gratiarum actionem* pro incarnatione, Sacramentis, ac omnibus donis quæ ego indigniſſimus habeo à Te; & quæ Ieſus, Maria, meus Angelus, ſanctus N. ac

ac omnes omninò electi tui , & omnes creaturæ tuæ, etiam ingratæ, habent à Te !

Tertiò . *In præparationem* pro felici morte, pro Sacramentis, (vltimis potiſſimùm) ac inſpirationibus, indulgentijs, & omnibus donis quæ habebo á Te !

Quartò . *In deteſtationem, & ſatisfactionem* pro omnibus malis quibus ingratus ego , vel vlla vnquam creatura offendit te . Et vtinam nunquam offendiſſem Te , ſed ſemper odiſſem quod eſt contra Te !

Quintò . *In approbationem* omnium omninò bonorum quibus vnquam , vel ego indigniſſimus ſeruus tuus , vel vlla creatura delectauit , aut delectabit Te ! Et vtinam ſemper plus, & plus amemus Te ! & faciamus quod magis placet Tibi !

Sextò . *In interceſſionem* pro amicis meis, & inimicis ; pro omnibus afflictis , pro omnibus in agone vel in tentatione periclitan-

tantibus; pro omnibus viuis, & defunctis; N. N. maximè autem pro ijs pro quibus Tibi magis gratum eſt vt orem Te! Fac vt omnes, omnes, ac ſinguli ſemper amemus Te!

Septimò. *In adeptionem* omnium indulgentiarum (deſidero enim hodiè ac ſemper acquirere omnes indulgentias quaſcumque poſſum) & virtutis quam quæro in examine particulari: vt ex puro motiuo amoris Tui in hac virtute perſeueranter vincam me; & fiam indies magis idoneus ad plus amandum Te! Extirpa ex me quicquid impedit me in amãdo Te.

Octauò. *In efflagitationem, impetrationem*, & quotidianum *augmentum* veri, ſolidi, æterni amoris tui: vt inſpirationibus Tuis obediens, ac ſemper ad id quod tibi magis placet, ſolerter, ſagaciterque attentus, ex toto corde meo, & ex tota anima mea, & ex tota mente mea, & ex toto intellectu

meo,

meo, & ex tota virtute mea, & ex omnibus viribus meis, & ex tota fortitudine mea, vſq; ad mortem, ſemper & vbique, magis ac magis amem Te ſuper omnia, & ideò doleam ſuper omnia quòd Te vnquam vel leuiſſimè offenderim, Deus meus, & omnia! Et vtinam hæc omnia poſſem dicere omni ardore omnium tibi placentium voluntatum!

Non. Denique offero tibi me totum quantulus ſum; & mea omnia, cum omnibus omnino ſacrificiis quæ vnquam tibi placuerunt, aut placebunt; cum Seraphinis, & omnibus Sanctis tuis; ea intentione quæ tibi omnium maximè placet; ea quæ vllo vnquam libro, calamo, corde, aut cogitatione eſt expreſſa, vel exprimenda; ea qua operatus eſt Ieſus, Maria, Ioſeph, N. & omnes illi electi Tui, qui tibi maximè placuerunt; cum quibus volo, volo, totus volo, & ſupplex peto ſequi Te, ac amare Te in æternum

ſu-

ſuper omnia, Deus meus; cuius amore his meliora vellem, ſi mihi his meliora occurrerent. Doce me amare Te!

Sequentia.

Veni Sancte Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium.
Veni pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium.
Conſolator optime, dulcis hoſpes animæ, dulce refrigerium.
In labore requies, in æſtu temperies, in fletu ſolatium.
O lux beatiſſima, reple cordis intima tuorum fidelium.
Sine tuo numine, nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium.
Laua quod eſt ſordidum, riga quod eſt aridum, ſana quod eſt ſaucium.
Flecte quod eſt rigidum, foue quod eſt frigidum, rege quod eſt deuium.
Da tuis fidelibus in te confidentibus ſacrum ſeptenarium.
Da virtutis meritum, da ſalutis exitum, da perenne gaudium.

Amen.

Digitized by Google

Amen. Alleluia.

Veni Creator Spiritus,
Mentes tuorum viſita,
Imple ſuperna gratia,
Quæ tu creaſti pectora.

Qui diceris Paraclitus,
Altiſſimi donum Dei.
Fons viuus, ignis, Caritas,
Et ſpiritalis vnctio.

Tu ſeptiformis munere,
Digitus Paternæ Dexteræ,
Tu rite promiſſum Patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen ſenſibus.
Infunde amorem cordibus:
Infirma noſtri corporis
Virtute firmans perpeti.

Hoſtem repellas longius,
Pacemque dones protinus,
Ductore ſic te præuio,
Vitemus omne noxium.

Per te ſciamus, da, Patrem,
Noſcamus atque Filium,
Teque vtriuſque Spiritum
Credamus omni tempore.

Deo Patri ſit gloria,
Et Filio, qui à mortuis

Sur-

Digitized by Google

Surrexit, ac Paraclito
In ſæculorum ſæcula Amen.

Sancta MARIA Mater Dei, ac omnes Sancti & Sanctæ Dei, vos potiſſimum, qui in hac vita maximè excelluiſtis in amore Dei; rogo vos amore Dei, inflammate me illo amore Dei, qui efficiat, vt eum amem, & ei ſeruiam eo modo qui omnium maximè illi placet.

1 Miſerere mei, vt diligam te, ac faciam quod vis, Domine, qui dixiſti: *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis, faciens miſericordiam in millia his qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea.* Exodi 20. 6. Deut. 5. 10.

2 Da quod iubes, Domine: Gratias tibi ago quòd te amari à me præceperis. fac vt expleam omnes apices dulciſſimi illius tui præcepti quod mihi dediſti, dum dixiſti: *Diliges* Dominum Deum tuum ex *toto corde* tuo, & ex *tota anima* tua, & ex *tota fortitudine tua*. eruntque verba hæc quæ

ego

ego præcipio tibi, in corde tuo: & narrabis ea; & *meditaberis* in eis ſedens in domo, & ambulans in itinere; dormiens, atque conſurgens Deut. 6. 5.

3 Impetra à corde meo, imò impera cordi meo, id quod maximè tibi placet; qui dixiſti: Et nunc quid Dominus Deus tuus *petit* à te, niſi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius; & *diligas* eum, ac ſeruias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua; & benè ſit tibi? Deut. 10 12.

4 *Ama itaque* (anima mea) *Dominum Deum tuum: & obſerua præcepta eius.* Deut. 11. 1.

*Ad Maiorem Dei, Deiparæ Virginis, ac omnium Sãctorum gloriam; & ſanctum vltimi agonis noſtri ſolatium.*

1004680